

A M P L I S S I M O S E N A T O R V M O R -
D I N I R E I P U B L I C A E N O R I M B E R G E N -
sis, Dominis suis incomparabiliter obseruandis, Thomas Gec-
hauff, cognomento Venatorius, se -
ipsum commendat.



O M I N E M ab ipsomet Opifice rerum, imperium in ipsam terram, adeoꝝ in ipsas passim universas creature accepisse: concessa etiam, quæ homini, pro modulo sui status satis esset, cognitione rerum, Moses in ipso statim libri Geneseos uestibulo, scriptum reliquit. Homo autem simul atꝝ mandatum Opificis minus, quam par erat, sancte colere cœpisset, prebuissetq; iam aures aduersario lucis, protinus & accepto in rerum creature imperio exuitur, & summæ felicitatis, ad quam utiq; formatus fuerat, fruitione priuatur: adeò ut iam non tantum longissimè à uera felicitate exularet, sed etiam in ipsa rerum cognitione equidem miserè cœcutiret. Et meritò quidem. Qui enim supremæ contemptor est maiestatis, suprema quur non pleretur poena: Atqui ne penitus ab ea, ad quam semel fabricatus fuerat homo, excideret felicitate: præterquam quod Deus omnipotens bonitatis suæ uerbum, ut carnem indueret, misit, cuius deinde morte, labes illa contractæ impuritatis ablueretur: rursus etiam hominem, ad præclarissimarum rerum cognitionem, ceteri per gradus quosdam artium ascendere uoluit, ut iam constanter nobis polliceri possumus, habere quādam cum uirtute ipsa coniunctionem honestas artes omnes. Et si enim hodie inuentam ueritatem, sola sibi iure uendicat Theologia: inuentam una se curè possidet pietas Christiana: nō tamen & alias liberales disciplinas cōtemnere debemus, ob eam duntaxat causam, quod per ipsas adhuc queritur Veritas: sed potius & ipsæ in consuetudinem humanæ uitæ admittendæ, ne quæ usu adhuc rerum carent ingenia iuuentutis nostræ, penitus syluescant, dum perpetuò cultura bonarum artium destituuntur. Quod enim præstat cibus hominibus ut uiuant, id præstant honestæ disciplinæ, ut bene uiuant. Alimenta corporibus si subduxeris, ipsa protinus uiuere desinent: & communi mortalium uitæ honestas artes, mox ut subducere cœperis, ipsa uita nostra, quid nisi quam proximè ad brutorum uitam accedere videbitur: Quare mea quidem sententia, hoc iuuentuti sunt artes honestæ uniuersæ, quod himber est pratis arescētibus, quod riui hortis, quod agris cultus, & ipsis quod est uineis putatio. Cultura artium ut rebus humanis non parum adjicit splendoris & ornamēti, ita contemptus earum & morum & uitæ sinceritatem non infrequen-

* 2 ter